



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Tribus sequentibus assertionibus, tres prædicti errores objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

& fastidio contra eos elatus qui in persecutione lapsi fuerant, asseruit non amplius illis, quamvis omnia quae viderentur ad veram poenitentiam, ad conversionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omnino pergerent, spem ullam salutis omnino reliquam fieri. Unde propria cuiusdam sectae & erroris eorum, qui praeflata quadam mentis insolentia seipso aruas esse, id est, puros & vacuos à labe peccati asseruerant, author & dux fuit. Ille Carthagine egressus, & Romam profectus, in erroris locum assumpsit Novatianum, qui incredibili ambitione incensus, se in Romanum Episcopum ordinare fecit, Cornelio in Cathedra Petri sedente, ut testatur Hieronymus in Novatiano, his verbis: Novatianus Romanae urbis Presbyter, adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere. Item Ambrosius lib. 1. de poenitentia cap. 15. de illo haec scribit: Episcopatus amissi dolore succensus Novatianus, schisma composuit. Notum est etiam ex Epistolis Cypriani & Dionysii Alexandrini, quod nunquam sancti illi voluerint cum eo communicare, tanquam cum Romano Pontifice. De illo haec scribit Socrates lib. 4. hyst. eccl. c. 13. Cum Novatianus ordinatus fuisset Romanus pseudopontifex, omnibus ubique Ecclesiis scripsit literas, ut eos qui simulacris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad poenitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet auctoritatem peccata remittendi. Ex quo liquet, Novatianos non exstimasse, eos omnes qui post baptismum gravioris peccati noxam contaherent, ab omni spe aeternae salutis excludi, sed sensum eorum duntaxat fuisse, illos qui à susceptione baptismi in aliquod mortale peccatum incidissent, non esse amplius recipiendos ad Ecclesiam & fidelium communionem, neque penes Ecclesiam esse jus ullum ac potestatem reconciliandi tales peccatores. Unde Ambrosius libro 1. de poenitentia cap. 2. Ait se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem referrent. Quibus verbis innuit, quod Novatiani ita distinguebant, ut Christo Domino potestatem remittendi peccata concederent, sed illam Ecclesiae denegarent.

Adverte etiam, in hoc Novatianos à Novato discrepasse, quod Novatus negabat in Ecclesia esse vel potestatem remittendi quodcumque peccatum post baptismum commissum; ejus verò Discipuli ita sententiam illam temperarunt, ut voluerint esse in Ecclesia potestatem remittendi leviora, sed non graviora. Ita discimus ex Sancto Ambrosio libro 1. de poenitentia capite 32. ubi haec scribit: Sed aiunt (Novatiani) se exceptis gravioribus criminibus, veniam relaxare levioribus. Non hoc quidem Author erroris vestri Novatus, qui nemini poenitentiam dandam putavit. In eo igitur patrem vestrum propria damnasti sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda à vobis putatis, & quae sine remedio esse arbitramini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promittit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. Hanc poenitentiae distinctionem mutuati sunt fortè Novatiani à Montanistis, qui teste Tertulliano libro de Pudicitia cap. 2. dividebant peccata in remissibilia & irremissibilia: Haec (inquit) dividimus in duos exus, alia erant remissibilia, alia irremissibilia. Tertius error est Lutheranorum & Calvinistarum, qui admittunt quidem contra Monta-

nistas & Novatianos dari in Ecclesia remedium aliquod à Christo institutum, pro remittendis peccatis baptizatorum, sed volunt tale remedium nihil aliud esse, nisi memoriam baptismi jam suscepti, cum fide remissionis peccatorum. Unde dicunt poenitentiam vel non esse sacramentum novae legis, propriè dictum, vel non esse distinctum à baptismo. Ita Lutherus libro de Captivitate Babylonica, titulo de Sacramento Baptismi, Kemniti in examine Canone 10. de baptismo & ad Canonem 1. de poenitentia, & Calvinus libro 4. institutionum capite 9. §. 15. & 17.

§. II.

Tribus sequentibus assertionibus, tres praedicti errores confutantur.

Dico primò, datur in Ecclesia Christi, remedium aliquod quo peccata post baptismum commissà remittuntur.

Probatum primò ex illis verbis Christi Matth. 18. Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in caelis &c. quo testimonio utuntur Patres Concilii Carthagenensis apud Cyprianum Epist. 54. ut probent lapsos non nisi diu poenitentia acta, esse admittendos ad pacem, nisi fortè periculum infirmitatis urgeret. Statueramus, inquit, participato invicem nobis consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim suus erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & doctibus ac deprecantibus, spei salutaris subsidium denegari, & de seculo recedentes, sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur: quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in caelis ligata essent: solvi autem possent illis, quae hic primo in Ecclesia solverentur.

Probatum secundò ex aliis Scripturae locis, quibus baptizati incitantur ad poenitentiam: Actuum 8. Petrus dixit ad Simonem Magum, qui ut ibi dicitur jam crediderat, & baptizatus erat: Poenitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. Et Paulus 1. Corinth. 5. & 2. Corinth. 7. alibiq; passim, Corinthios fornicarios, & alios Christianos ad poenitentiam & salutem quaerendam hortatur. Ipseque Christus Matth. 6. praecipit omnibus etiam baptizatis & Christianis ut sic orent: Dimitte nobis debita nostra &c. frustra verò id praeciperet, si peccata post baptismum commissà, essent irremissibilia, nullumque in Ecclesia daretur remedium, institutum pro eorum remissione.

Ratio etiam suffragatur: Cum enim magna sit in hominibus, etiam baptizatis, ad peccandum proclivitas, & ad peccati remissionem, vi perfectae contritionis procurandam, magna difficultas; neque minus periculum salutis sit in peccatis quae baptismum sequuntur, quam in illis quae illum praecedunt, ad suam Christi providentiam pertinet, ut remedium aliquod institueret, & Ecclesiae suae relinqueret, quo lapsi post baptismum, possent à peccatis resurgere. Unde Leo Papa Epist. ad Theodorum: Multiplex

Ti 3

mise-

miser cordia ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per penitentiam medicinam spes vite reparetur aeterna; ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent. Et Tertullianus lib. de penitentia cap. 7. Hæc venena (inquit) pravedens Deus (id est peccata per baptismum committenda) inunctionis (id est baptismi) serâ obstructâ, quia non potest iterari, neque valet ad illa peccata delenda; aliquid adhuc permittit patere. Collocavit in vestibulo penitentiam secundam, qua pulsantibus patefaciat. Et rursus cap. 12. Igitur cum scias adversus gehennam, post primam inunctionis Dominica monimenta (id est post baptismum) esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod B scias mederi tibi?

Dico secundò, remedium illud quo Ecclesia Romana utitur ad obtinendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum, esse sacramentum propriè dictum.

7 Probatur primò ex SS. Patribus, qui tale remedium, appellant sacramentum: Augustinus enim in expositione Psalmi 146. verum illum interpretans: Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quæ sunt (inquit) ista alligamenta, nisi temporalia sacramenta? Et in exemplum adducit Eucharistiam, & manûs impositionem, quæ per Presbyterum peccatores reconciliantur. Unde patet ipsum loqui de sacramento propriè dicto. Item Gregorius Nissenus in libro de vita Moysis, sic ait: Moyses per lapidem inundare aquas eremum fecit: quæ res quantum, qualeque sit penitentia sacramentum docet. Et Victor Cartennensis Episcopus, qui vixit anno 460. lib. de penit. cap. 20. Dominum (inquit) audi in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem, ut intelligas quantifaciat penitentia sacramentum.

8 Probatur secundò ratione desumptâ ex verbis illis Christi Joan. 10. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c. Nam ubi est signum externum, perpetuum, à Christo Domino institutum, collativum gratiæ sanctificantis, ibi est sacramentum novæ legis propriè dictum: Atqui hæc sunt in penitentia, prout fit in Ecclesia: Ergo illa est sacramentum novæ legis propriè dictum. Major patet, Minor verò probatur quoad singulas partes. Et in primis quod talis penitentia sit signum externum ex eo probatur, quod Christus verbis relatis contulit Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata: verisimile autem non est, eam contulisse exercendam per actus merè internos, tam ex parte absolventis, quam ex parte absolventi, nam hic modus non est hominum proprius, qui interna noscunt per externa. Deinde quod talis penitentia sit perpetua in Ecclesia, evidens est, quia per hæc verba datur Apostolis, eorumque successoribus potestas ista; & præterea verba hæc quorum remisistis, illud docent, nam per ea significatur potestas respectu illorum omnium qui peccaturi sunt à suscepto baptismate. Tertiò, quod sit collativa gratiæ sanctificantis, patet, nam remissio peccatorum non fit, nisi collatione gratiæ habitualis. Quartò denique, quod eadem sit ex institutione Christi Domini, docet series contextûs: Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata. &c.

9 Confirmatur ratione D. Thomæ hic art. 1. in

corp. Sacramentum est signum rei sacre sanctificantis hominem: Sed in penitentia quæ fit in Ecclesia significatur aliquid sacrum, nempe sanctificans, tam ex parte penitentis, quam ex parte confitentis, quàm Sacerdotis absolventis. Ergo illa est sacramentum propriè dictum. Non probatur, quia actus penitentis, quæ dolorem suum declarat, & peccatorum suorum fitetur, cor ejus significant à peccato recessum, actus etiam Sacerdotis absolventis à peccato recessum, liquid sanctum significant, prout sanctum, prout sanctificans nos, scilicet remissionem peccatorum: Ergo &c.

Dico tertiò, Remedium institutum à Christo Domino pro reconciliatione lapsum post baptismum, non est memoria baptismi jam lapsi, sed aliquid sacramentum à baptismate communi distinctum.

Probatur primò: Si sacramentum penitentiae non distingueretur à baptismate, sed esset in eo, docent Calvinistæ (ipsum baptismum solè apprehensione & memoriâ repetitur, Christus non dedisset Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata: At hoc repugnat verbis Christi Joan. 20. dicentis: Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: Ergo &c. Sequela Major patet, non enim Christus dedit Apostolis, eorumque successoribus potestatem quæ faceret ut baptizati, vel non essent baptizati, vel eis non occurreret memoria baptismi, quæ excitaret, & crederent sibi remissa esse peccata: Ergo si penitentia sacramentum esset ipsum baptismum, apprehensione & memoriâ repetitur, Christus non dedisset Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata.

Probatur secundò: Si penitentia sit sacramentum à baptismate distinctum, lapsi post baptismum, facilius Deo reconciliarentur, quàm ante baptismum; facilius enim est cogitare de baptismate quàm ipsam peccata: Consequens autem videtur ab absurdo, & rationi prorsus dissonum; nulla siquidem ratio patitur, ut Deus facilius ignoscaturis qui sciunt post fidem & baptismum peccavisse, quàm qui ignoranter in incredulitate deliquerunt: Ergo penitentia non est ipsum baptismum, apprehensione & memoriâ repetitur, sed aliquid sacramentum à baptismate omnino distinctum. Unde SS. Patres de baptismate & penitentia, de sacramentis omnino diversis, loquuntur: Chrysostomus enim libro 3. de Sacerdotio ait: Non solum Sacerdotes regunt, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem. Similia habent Cyrillus Alexandrinus libro 2. ad Joannem cap. 36. Duobus modis, inquit, de spiritu pleni vel afflati homines, peccata remittunt, vel cum dignos admittunt ad baptismum, & indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccata corripunt, ac penitentibus ignoscunt. Item Ambrosius libro 1. de penitentia cap. 7. Non est utrum per penitentiam an per lavacrum, hoc est remittendi peccata, sibi datum reddunt Sacerdotes: idem in utroque mysterio est &c. Denique Augustinus Epistola 180. An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenit extrema, & illis cum omnes periclitantur, hostibus invadentibus, quantis in Ecclesia fieri solent ab utroque sexu concursus: alius baptismum pugnatoribus, alius reconciliationem (id est Sacerdotibus)

absolutionem) alius etiam poenitentia ipsius actionem (id est inungi sibi poenitentiam & satisfactionem obediendam) omnibus consolationem, & sacramentorum confessionem & erogationem. Quibus verbis aperte distinguit sacramentum Poenitentiae à sacramento Baptismi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem objiciebant Montaniste & Novatiani duo Apostoli testimonia, quibus videtur doceri, nullum pro peccatis post baptismum commissis dari in Ecclesia Christi remedium, quo expiari & deleri possint. Primum habetur ad Hebræos 6. ubi licet Apostolus: impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, & participaverunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsum sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, & ostentui habentes. Secundum sumitur ex capite 10. ejusdem Epistolae, ubi sic dicitur: Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio iudicii, & ignis amulatio qua consumptura est adversarios.

Verum ad hæc facile respondetur: Nam sensus verborum Apostoli in primo testimonio est, impossibile esse semel illuminatos, id est baptizatos, rursus renovari ad poenitentiam, id est iterum baptizari, ut exponunt Chrysostomus, Theodoretus, & Theophilactus, in eundem locum, & D. Thomas hic art. 10. ad 1. ubi hæc scribit: Ad primum dicendum quod quia apud Iudæos erat secundum legem quedam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Iudæorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum Apostolus scribit ad Hebræos 6. quod impossibile est eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursus renovari ad poenitentiam, scilicet per baptismum, qui est lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, ut dicitur ad Titum 3. Et rationem assignat ex hoc quod per baptismum homo Christo committitur, unde subdit, rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei. Eodemque sensu voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia pro peccatis, hoc est alia Christi mors, quæ per baptismum repræsentetur, & iterum applicetur ad integram remissionem culpe totius & poenæ. Videtur etiam Paulus loqui in secundo loco de Iudæis vacillantibus in fide, volentibusque legem Moysi & Christi conjungere, asserereque id genus hominibus nullam jam restare hostiam pro peccato: quia neque deficientibus à Christo ad Moysen, jam prædest hostia in cruce oblata; neque etiam illæ quæ offerrebantur in lege veteri, quippe quæ jam abolitæ sunt per legem Christi, & per hostiam in cruce oblatam.

Objiciebant secundò: Facilitas venia incentivum præbet delinquendi, ut ait Ambrosius Conc. 8. in Plalmum 118. Si ergo Deus veniam frequenter præbet per poenitentiam, & remedium instituit pro peccatis post baptismum commissis, videtur quod ipse hominibus tribuat incentivum delin-

quendi: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Huic objectioni egregie respondet Augustinus homil. 27. ex 50. ubi impugnans quosdam Ethnicos qui poenitentiam rejiciebant, eo quod eam dare occasionem & motivum peccandi existimarent, sic ait: Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum poenitentiae pollicemur. Si clauderetur aditus poenitentiae, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignoscere? Diceret enim sibi, Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi venia nullus est locus, poenitentia infructuosa est. Damnatum sum, quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio charitatem, hic saltem pascam cupiditatem meam. Quare enim abstineam? Ibi enim locus mihi clausus est. Hic quod non fecero, perdo, quia quæ post hanc futura est vita, mihi non dabitur. Quare ergo non servio libidinis meis, ut eas impleam & saturem, & faciam quidquid non licet, sed libet? &c. Ergo si tuleris portum poenitentiae, augebuntur peccata. Ecce nihil dicunt illi qui putant augeri peccata, quia portus poenitentiae in Christiana proponitur fide.

Objicitur tertio contra secundam conclusionem: Ad omne sacramentum requiritur verbum & elementum ab aliquo ministro adhibendum, juxta illud Augustini Tract. 80. in Joan. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: Sed in poenitentia nullum est elementum: Ergo illa non est verum sacramentum.

Respondeo primò, Divum Augustinum non loqui de sacramento quolibet, sed de baptismo tantum, ut ex textu manifestum est; sic enim habet: Quare non ait, Mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum &c.

Respondeo secundò, quod si dictum illud Augustini extendatur ad alia novæ legis sacramenta, non debet sumi elementum strictè & propriè; alioqui nequidem Eucharistia esset sacramentum, nam panis & vinum, quæ sunt ipsius materia, non sunt elementum strictè & propriè, sed per se, elementum, intelligenda est quæcumque res sensibilis à Christo instituta, in quo sensu possumus dicere, verbum in sacramento poenitentiae accedere ad elementum, scilicet ad confessionem poenitentis.

Objicitur quartò: In lege veteri poenitentis non erat sacramentum: Ergo nec in nova. Consequentia videtur legitima, ex eo quod non magis sit necessarium istud sacramentum in una lege quàm in alia.

Respondeo concessò Antecedente, negandò Consequentiam, in lege enim veteri non fuit dictum sicut in nova, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Ad probationem verò in contrarium dico, quod licet pro remissione peccatorum obtinenda, absolute loquendo, & præsciendò à sacramenti poenitentiae institutione, non magis sit necessarium istud sacramentum in una lege quàm in alia, sed sufficiat poenitentia interna; in lege tamen Evangelica, Christus speciali favore & dilectione filios talis legis prosecutus, ipsum voluit instituere.

Objicies quintò contra tertiam conclusionem: D. Augustinus lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 33. ait quod lavacrum regenerationis non tantum peccata præterita, sed etiam posterius admissa